

nominari Theologus. Sed apud Latinos, sequiori demum aeuo, ea frequentari cepit, quippe qui *Apostolum* modo illum nominabant, si quando ex Apocalypsi quaedam excitarent. Testor saltem Tertullianum, qui aduersus Marcionem, L. III. 14. *Nam et Apostolus Ioannes in Apocalypsi, enssem describit ex ore DEI prodeuntem, bis acutum, praeacutum.* Nec aliter Interpreti Vulgato, quod supra uidimus, appellatur.

XX. Etsi uero Inscriptio non agnoscat auctorem ipsummet Ioannem, quod Io. pariter Ouenus l. c. fatetur, negari tamen nequit, omnia in illa comprehendi, quae ad bonam inscriptionem requiruntur. Argumentum sistit in uoce ἀποκαλύψεως, nulli scriptorum, praeterquam sacris, usitata. Quod suo iam tempore obseruauit Hieronymus, cuius haec T. IX. Opp. f. 95. uerba sunt. *Verbum quoque ipsum ἀποκαλύψεως, id est reuelationis proprie scripturarum est, et a nullo sapientum seculi apud Graecos usurpatum.* Descendit ἀπὸ τοῦ ἀποκαλύψαι, et obscurorum manifestationem denotat. Nam Polluci VI. 207. συνόνυμα sunt, διακαλύψαι, ἐκκαλύψαι, ἀποκαλύψαι, et δηλώσαι, ἐκφῆναι etc. Nec poterat comodiori dictione libri huius exprimi argumentum, quippe qui, praeter alia abstrusiora, futura enarrat Ecclesiae fata, nemini citra diuinam manifestationem nota, quicquid dixerint, Petitus, aliique, qui animae δύναμιν inesse contendunt futura praedicendi. Graecam hanc uocem Latinus tetinet. Arabs uero ex editione Londinensi transfert, per *ويز* siue *Visionem*, imitatus haud dubie stylum Veteris Testamenti, iuxta quem reuelatio, Vatribus facta diuiniioribus, ויחזק et ויחזק nominatur. In quibus explicandis uocibus dum Iacobus uersatur Guffetius, in Com. L. E. plus mihi ingenii, quam soliditatis, quod non raro facit, ostentasse uidetur. Interpretes sane LXX. utrumque uocabulum ὄρασιν interpretati sunt. Vid. 2. Paral. XXVI. 4. El. I. 1. In editione tamen, quam curauit Erpenius, nomen ἀποκαλύψεως retinetur, et Visionis notio, quam solam Londinensis habet, ἐπεξηγήσεως gratia, adiicitur. XXI.